

A ¶ Concilium recipit & admittit in cardinales, cardinales domini Gregorij papæ duodecimi.

Item sacrosancta synodus Constantienſis. ex nunc immediate poſt eſſionem ſeu reſnatiõnem nomine illius domini qui dicitur Gregorius XII. de papatu per eundem faciendam, ipſum dominum Gregorium & reuerendiſſimos in Chriſto patres dominos Antonium epiſcopum Portuſi. Ioannem tituli ſancti Sixti. Gabrielem tituli ſancti Clementis. Angelum tituli ſanctorum Petri & Marcellini. Blandellum tituli ſanctæ Sabinae preſbyteros, & Petrum tituli ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconum ſuæ obedientiæ cardinales recipit & admittit, eoſq; ut tales, haberi uult & ab omnibus uenerari, necnon dignitate, emolumento, uoce & alijs cardinalium priuilegijs, ut ueros cardinales uti, frui, pariter & gaudere, ſaluſ tamen alijs conſtitutionibus & ſtatutis, in præſenti ſeſſione promulgatis, & inferius promulgandis, de electione Romani pontificis faciendis mentionem.

¶ Quod officiarj domini Gregorij gaudeant eorum officijs.

B Item sacrosancta synodus Constantienſis &c. ſtatuit & ordinat, quod omnes officiales & curiales eiufdem domini qui dicitur Gregorius duodecimus, in officijs & gradibus ipſorum alijs canonicè adeptis gaudeant, & ea rationabiliter adminiſtrent, pro ut alijs officiales alterius indifferenter, ſaluo ubi in aliquo officio unicus uel certus numerus debet haberi ſecundum conſuetudinem Romanæ curiæ, circa quod ſacrum concilium ſibi referat prouidendum cum debita manuſuetudine & rationabili æquitate, ita quod una pars alia deterius non tractabitur, utriuſque obedientiæ honore quantum fieri poterit, ſemper ſaluo, per ſe uel ad hoc ſpecialiter deputandos, anteq̃ ſeparabitur, prouidebit modo & tempore opportunis.

¶ Quod nullus decedat ſine licentia.

Item sacrosancta synodus &c. Ne ante electionem futuri Romani pontificis & aliorum in eodem concilio agendorum, ipſum ſanctum concilium diſſoluatur, perturbetur, aut contra eius ſalutem uel proſperitatem aliquid machinetur, uel etiam ſanctæ ipſius ſtatuta & ordinationes quomodolibet moleſtentur, aut tranſgrediantur, ſtatuit, ordinat, & diffinit, quod quæcumq; perſona concilij cuiuſcuq; ſtatus, gradus, ordinis, aut præminentiæ exiſtat, ab hoc ſacro concilio deinceps ſine licentia concilij uel ad hoc deputandorum receſſerit, & quæcumq; concilij, aut quæuis alia perſona ipſum conciliũ quomodolibet perturbauerit, aut contra eius ſalutem uel proſperitatem quicquam machinata fuerit, uel ipſius ſacri concilij, præſertim in hac præſenti ſeſſione, ſtatuta aut ordinationes temerarie uolauerit, inſregerit, aut tranſgreſſa fuerit ullo modo, tanquam unionem perturbans, ſchiſma faciens, de hæreſi ſuſpecta, aut rea criminis læſe maiestatis, perpetuo ſit infamis, omniq; dignitate, honore, ſtatu, officio & beneficio, eccleſiaſticis & ſecularibus, etiam ſi imperialis, regalis, cardinalatus, aut pontificalis exiſtat, ipſo iure priuata, ſpe promotionis omnino ſublata, nec aliæ quatenus aperiatur ei in uia dignitatis aut honoris, eccleſiaſtici aut mundani.

¶ Quod imperator det operam, ut concilium ſit tutum.

Item sacrosancta synodus Constantienſis exhortatur inuictiſſimum principem dominum Sigifmundum Romanorum & Hungariæ regem, quatenus placeat, patentes literas ſuæ maiestatis ſigillis dare, & omnibus principibus, uasallis, & ſubditis ſaceri imperij, & præſertim ciuibus & incolis ciuitatis Conſtantiæ præcipere & mandare, quod manutenebunt & defendent prædictum ſacrum concilium in ſincera & rotali libertate in omni euentu uſque ad electionem futuri ſummi pontificis, & alijs quandiu durauerit, & quod ſi & quando ſacrum concilium deliberauerit, ad electionem Romani pontificis hic procedendum, omnino ad hoc operam efficacem impert